

gilantia ad proficiendum, et vitandos omnes defectus, atque aliæ similes. Deest etiam in illo vivendi modo illa specialis commoditas, vacandi semper Deo, propter quam vita solitaria in veneratione et admiratione habetur. Unde factum est, ut uterque modus vitæ religiosæ privatæ seu solitariæ, fere ab usu Ecclesiæ sublatus fuerit. Domesticus quidem et urbanus (ut sic dicam), ut parum utilis, et occasionibus expositus; eremiticus vero, et omnino solitarius, ut periculosus, et ordinarie etiam minus utilis, nisi sub actuali obedientia alicujus religionis retineatur.

48. Addo præterea, etiam illo modo, quo vita eremitica præfertur a D. Thoma cœnobiticæ, intelligendum id esse præcise stando intra latitudinem vitæ contemplativæ; ideo enim solitaria vita præfertur, quia ad actua-lem contemplationem aptior est. Nihilominus tamen si vita illa omnino solitaria et otiosa illo sancto otio, quod diligit charitas veritatis, ut Augustinus ait, si illa (inquam) comparetur cum vita actuosa actione illa, quæ ex contemplatione manat, et aliquam conversationem inter homines requirit, perfectior simpliciter est hæc vita, quam illa omnino solitaria, ut manifeste probat discursus ejusdem D. Thomæ, d. q. 188, art. 6; et ideo in art. 8, ab illa comparatione vitæ socialis et solitariæ, separat religiones, quæ ad actiones aliquo modo ordinantur, de quibus jam dixerat, eas, quæ ad docendum et prædicandum ordinantur, ex suo genere præferre his quæ tantum contemplationi vacant, quia altius est perficere quam perfici, et ex abundantia perfectionis provenit, contemplata aliis tradere. Unde Basilius, dict. regula 7, vitam socialem maxime præfert, propter exercitium operum charitatis, inter quæ potissima sunt quæ proxime ex ipsa contemplatione nascuntur. Hoc etiam videtur confirmari exemplo Joannis Baptistæ, qui post vitam solitariam ad prædicandum accessit. Item ad hoc propositum utitur Innocentius III, in d. e. *Nisi cum pridem*, de Renunt., exemplo Jeremiæ, dicens ad quemdam Episcopum, qui propter otium contemplationis Episcopi munus recusabat: *Scire debes non esse te sanctificato in utero sanctiorem, et ideo non oportet te prædicationis jam susceptæ respuere ministerium*, etc. Et in fine illius capituli, plura dicit in confirmationem hujus sententiæ, quæ inferius cap. 8, cum iterum hæc comparatio occurreret, afferemus.

49. *Ultra vita sit antiquior*. — Ultimo posunt hi duo status comparari in antiquitate,

uter, scilicet, antiquior fuerit. Quidam enim censent eremiticum fuisse antiquiorem, nam auctorem cœnobiorum dicunt fuisse Antonium, quem præcessit Paulus, qui eremitarum pater post Christum appellatur, quamvis ante ipsum Christum illius vitæ exempla præcesserint in Elia, Eliseo et Joanne Baptista, teste Hieronymo, epist. 22. Sed nihil certum existimo posse in hoc statui; et si quid affirmandum est, verisimilius videtur cœnobium fuisse antiquiora. Nam a tempore Apostolorum et D. Marci inceperunt, sive clericorum, sive monachorum, ut in superioribus tactum est, et infra, tract. 10, lib. 1, etiam dicitur. Et tempore etiam Elisei et Prophetarum fuisse societatem aliquam inter solitariam vitam agentes, ex antiquis auctoribus colligitur. Verisimile autem est nunquam defuisse aliquos, qui desiderio contemplationis majoris solitariam vitam amaverint, ut ait Cassianus, collat. 18, c. 6; et ideo hi duo status quoad hoc dici possunt æquales, quamvis ordine magis congruo cœnobiticus debeat præcedere, ut dixi n. 16, licet interdum ex divina inspiratione ordo mutetur, sicut Paulus ad solitudinem statim vocatus est, occasione quidem vitandi persecutionem, ut supra ait Cassianus, et Nicephorus, lib. 8 Histor., c. 39 et 40, ex speciali tamen Dei providentia, ad singulare illius vitæ exemplum; Antonius et Benedictus solitariam vitam prius coluerunt, et postea ad multorum perfectionem cœnobiticam instituerunt.

CAPUT III.

UTRUM RELIGIO RECTE DIVIDI POSSIT IN MILITAREM ET NON MILITAREM.

Omisso statu religionis solitario, quia vel in usu jam non est, vel, si aliquo modo est, pars est cœnobitici, et de illo jam satis diximus, agendum sequitur de varietate quadam adhuc generica ordinum religiosorum, nempe militarium. Nam militares ordines multum ab aliis differre videntur, et in controversia est, an sint religiones simpliciter, vel secundum quid; ideo hoc imprimis discutendum est. De aliis enim non militaribus liquet, et dari in Ecclesia, et in ea esse non solum statum religiosum simpliciter, sed etiam maxime perfectum, et pro nunc satis distingui a militaribus per negationem finis illarum, quia, videlicet, ad corporalem militiam ordinatus non est.

1. *Militia potest opus esse honestum*. — De militaribus ergo ordinibus duplex quæstio tractari potest. Una est de possibili, an possit religio militaris institui, id est, per se primo ad militandum, quam præsentis capite expediemus. Alia de facto, an ordines militares, qui nunc sunt instituti, sint vere, proprie, ac simpliciter religiones, quam in caput sequens reservamus. Præsentem ergo quæstionem tractat D. Thomas 2. 2, q. 88, art. 3, et respondet affirmando; et rationem reddit, quia militare debito modo potest esse opus insignis charitatis et religionis; religiones autem activæ ad hujusmodi actus instituuntur. Ut autem certa ab incertis discernamus, supponendum est, actum militandi, debitis circumstantiis factum, esse opus bonum et justum, quod latius ostenditur in materia de Bello, 2. 2, q. 40, contra aliquos hæreticos, qui dixerunt bellum esse intrinsece malum, vel saltem lege Evangelica prohibitum, quod est evidenter falsum, ut positive constat ex tota Scriptura veteri; ex nova autem, saltem negative, quia nulla talis prohibitio in ea continetur, nec ex traditione habetur, sed potius oppositum constat ex consuetudine Ecclesiæ; nam christianissimi principes sæpe bella gesserunt justissima propter Ecclesiæ defensionem, approbantibus, imo excitantibus Summis Pontificibus, imo et Deo ipso miraculose ea confirmante. Denique ratio est evidens, quia ad pacem et defensionem Ecclesiæ id sæpe necessarium est, et in principibus supremis est jus et potestas ad tuendam, imo et ad vindicandam suam Rempubicam.

2. *Militia honesta uno modo*. — Altero modo. — Est autem ulterius considerandum, duplex posse esse bellum justum: unum, quod ad temporalem finem tantum proxime ordinatur, ut sunt, verbi gratia, bella, quæ ordinarie geruntur inter principes christianos; nam, licet ex altera saltem parte sint justa, non tamen per ea intendunt, nisi aliquod temporale dominium, quo privati sunt, aut justam vindictam alicujus publicæ injuriæ, vel aliquid simile. Aliud vero est bellum non solum justum, sed etiam pium ac religiosum, quia proxime a militantibus ordinatur ad defendendam religionem, fidem, vel Dei populum ab injuriis infidelium, paganorum, vel hæreticorum. Tale fuit bellum Machabæorum, quorum exemplo D. Thomas maxime utitur; et in Ecclesia tale habitum semper fuit bellum contra Turcas, pro defensione vel restauratione terræ sanctæ. Et ideo antiquis-

simum fuit voto se Deo consecrare ad hujusmodi bellum, vel ad præstandum favorem vel auxilium in eo militantibus, et insigne crucis assumere in signum talis voti et obligationis, ut colligitur ex c. *Ex multa*, et c. *Postulastis*, cum multis aliis de voto, et ex supra dictis de votis simplicibus reservatis, inter quæ tale votum computatur. Hujusmodi etiam fuit bellum Caroli V imperatoris, contra hæreticos Lutheranos, et similia.

3. *Honestas primi modi non sufficit ad statum religiosum*. — Religio ergo ad militandum non pro quocumque bello justo institui potest, ut bene adnotavit Cajetanus, dicto a. 3, et significavit D. Thomas, cum dixit, militiam religiosam non ordinari ad bonum temporale, seu finem mundanum; hic enim finis non excludit quin bellum sit justum; nam, servata æquitate, potest quis velle sua temporalia bona propter temporale commodum, vel propter ipsum principatum terrenum. At vero militia inter hos limites contenta, quantumvis justa, non potest esse finis religiosi status, quia est actio mere terrena et temporalis, non minus quam mercatura, vel alia similis negotiatio. Item, quia status religiosus debet primario respicere cultum Dei, et pietatem ac perfectionem animæ; militia autem illo modo spectata, licet habeat quamdam bonitatem moralem, quatenus justa est, non tamen continet divinum cultum, nec est opus pietatis, nec per se confert ad animi perfectionem; quin potius ex se multis est periculis exposita, quæ nisi compensentur ex aliquo perfecto fine religionis, et boni communis, non sunt eligibilia ei, qui velit perfectionem consequi.

4. *Sufficit tamen honestas secundi modi*.

At vero si sumatur militia religiosa (ut sic dicam), id est, quæ pro defensione Christianæ religionis, et Ecclesiæ, ac innocentium assumitur, sic quidem potest esse finis aptus ut propter illum instituat religionem, et hoc modo dicendum est, possibilem esse religionem militarem, id est, ad religiose militandum, tantum ad proprium scopum, et finem institutam. Hæc est mens D. Thomæ supra, cujus sententia sine controversia fere communiter recepta est, et usu Ecclesiæ satis confirmata; nam militares ordines sub nomine et approbatione religionum, jam diu in Ecclesia fuerunt, et initium sumpserunt ab Urbano II, ante 570 annos, ut ex historiis illorum temporum constat, et attigit Thomas Bosius, tom. 2, de Signis Ecclesiæ, lib. 19, c. 1, num. 22,

ubi originem et progressum harum religionum breviter recenset. Probatur autem ratione, quia finis ille optimus est, et valde perfectus, et ad Dei gloriam et cultum multum pertinens; sed ad illum finem possunt esse optissima media, illa eadem, quæ substantialiter constituunt religiosum statum; ergo si accedat debita potestas, seu auctoritas Summi Pontificis, ut facile potest, nihil deerit ad verum statum religiosum. Consequentia evidens est ex haecenus dictis. Major etiam declarata jam est. Minor explicatur et probatur. Nam imprimis votum castitatis aptissimum est ad illum finem, quia obligatio conjugis et onera matrimonii multum impediunt libertatem necessariam ad militandum, et ad exponendum vitam suam bellorum periculis, nulla habita cura uxoris aut filiorum. Supposito autem coelibatu, consecratio castitatis per votum per se est gratissima Deo, eritque utilis ad obtinendum ab ipso auxilium in eo munere maxime necessarium. Est autem valde utilis ad conservandam animæ puritatem, adeo necessariam his, qui vitam suam tot periculis expositam gerunt; denique ad sanitatem, et robur corporis conservandum, ad illud munus adeo necessarium, plurimum conferre potest. Atque eadem vel similes utilitates in voto paupertatis inveniri possunt, quia, ut aliquis vere et ex corde Dei militiæ se consecret, et lucrum temporale in ea non quærat, nulla potest esse melior dispositio, quam rebus omnibus temporalibus omnino renunciasset, totumque illius affectum deposuisse; alias multum semper esset periculi bellandi potius propter rem familiarem augendam, quam propter Deum, ex qua intentione sæpissime oriuntur bella injusta, furta, ac prædationes, et similia. Deinde status militiæ requirit animum liberum omni cura et sollicitudine vel augendi, vel conservandi temporalia bona. Item requirit animum adeo despicientem res hujus mundi, ut etiam vitam suam contemnat, propter divinum obsequium, eamque quotidie periculis exponat, ad quæ omnia optima dispositio est abrenunciatio temporalium bonorum.

5. At vero obedientia, etiam seclusa religione, per sese maxime necessaria est in bello, quia sine illa nec debitus ordo, nec executio opportuna concurrentium actionum, et mediorum, nec debita sollicitudo, ac provida rerum omnium distributio, servari potest, cum tamen ex his circumstantiis felix belli successus maxime pendeat. Ergo si

militia sit religiosa, et solum propter Deum, ad perfectionem ejus maxime pertinebit, ut illa obedientia voto sit consecrata Deo; sic enim et superiores majori cum potestate et fiducia præcipient, et inferiores majori cum reverentia et promptitudine obedient. Accedit, quod in negotio tam arduo nihil potest esse felicius quam divino nutu, per Vicarium, cui Dei nomine se tradidit, gubernari; sic enim et ipsa opera erunt majoris meriti, et majori ratione poterit in eis divinum auxilium sperari. Tandem, qui hoc Dei bellum militat, debet esse expositus, ut huc vel illuc, ubi fuerit necessarium, vel ad actionem communi bono magis opportuna, mittatur; hanc autem animi præparationem confert obedientia; est ergo hoc votum tali statui maxime accommodatum.

6. Unde etiam concluditur, traditionem illam, quæ in professione religiosa fit, huic statui maxime congruere, quia illa nihil aliud esse videtur quam præparatio quædam ad perfectam obedientiam, et simul ad paupertatem, et rerum omnium nudationem. Nam, qui se tradit, se abnegat, et se quodammodo derelinquit; ideoque optime dispositus est ad obediendum, etc. Quin potius qui militiam profitetur, non solum actionem, sed etiam animam et vitam ponit in manibus Prælati; perfecte ergo se tradit; nihil igitur in tali vivendi modo ad verum statum religionis deerit, si ita institutus sit.

7. Contra hanc veritatem visus est tenere Sarmiento, in suo Defens., prima parte, nam monet. 57, ita objicit: officium, quod tendit ad irregularitatem, opponitur religioni; sed officium militandi tendit ad irregularitatem homicidii, ut per se patet; ergo non est vera religio, quæ ad hunc finem instituitur. Quo argumento, ipse quidem solum intendit probare, religiones militares, quæ nunc sunt, non esse veras religiones; tamen, si ratio est alicujus momenti, etiam probat non esse possibilem talem religionem veram; an vero ipse hoc senserit, vel calore disputationis excesserit, et consecutionem non viderit, haud satis scio. Respondeo tamen facile, distinguendo majorem: officium tendens ad irregularitatem opponitur religioni clericorum, transeat; religioni laicorum, nego assumptum. Quia cum talis status non ordinetur ad sacerdotium, nihil ei officit irregularitas, cum illa nec peccatum sit, nec ex peccato trahatur, nec sit per se intenta, sed per accidens consequatur. Illa ergo consecutio irregulari-

tatis valde accidentaria est ad statum perfectionis.

8. Gravius objici potest, quia status religionis debet esse schola perfectionis acquirendæ; at vero status militiæ non potest esse status perfectionis acquirendæ; ergo. Probatur minor, tum quia perfectio duo requirit, et carentiam vel diminutionem culpæ, quoad fieri possit; et profectum in omnibus virtutibus, præsertim in charitate, et cognitione Dei. Ad utrumque autem est ille status valde improporionatus. De primo patet, quia munus illud est infinitis periculis peccandi expositum, tum propter nimiam exteriorem communicationem cum aliis hominibus, qui nec religionem profitentur, nec ordinarie honeste vivunt; quæ conversatio et familiaritas vix potest moraliter excusari, tum propter ordinarium otium quod in hoc vitæ genere esse solet, quamdiu actuale bellum non agitur; tum propter alias innumeras occasiones, quarum effectus satis ipsa experientia ostendit. De secundo patet, tum quia ob easdem occasiones et causas non potest esse in his hominibus frequens virtutis exercitium; tum etiam quia nulla vel parva est, aut moraliter esse potest in tali statu institutio spiritualium magistrorum, minorque vigilantia et custodia Prælatorum; quomodo ergo potest esse talis status, status perfectionis?

9. Respondeo, statum perfectionis esse omnem illum, in quo, præter præceptorum observantiam, consiliorum via custodienda est ex vi talis vivendi modi, et præsertim ubi servanda sunt tria illa magna consilia, quæ ostendimus in tali statu posse reperiri. Certum est autem in illo statu posse servari præcepta, et illa etiam, et ad hunc finem posse provideri sufficientia media. Item status perfectionis est ille, qui destinatur ad aliquid agendum propter Deum, quod perfectionem charitatis et requirit, et ostendit, et affert; tale autem opus est animam suam ponere pro amicis suis, ut Christus dixit, quod plane faciunt, qui huic sacræ militiæ se consecrant; ergo talis status ex ratione sua sine dubio perfectionis est.

10. Considerandum autem est, in rebus creatis nullam substantiam esse perfectam, nisi debitis sit accidentibus ornata, et similiter in rebus moralibus, et præsertim in statu vitæ, non satis esse quod habeat substantiam (ut sic dicam) talis status, sed necessarium esse ut debitis sit circumstantiis, et particulibus mediis communitus. Solum ergo conclu-

dit ratio facta, in hujusmodi statu moralitæ necessarium esse ut, priusquam milites actuali militiæ committantur, in virtute aliquo tempore instruantur et exercentur, quod libenter concedimus. Tum quia digne et cum debita intentione religiosa militare, est potius opus perfectionis acquisitæ, quam acquirendæ; religio autem, licet possit esse ad exercendam perfectionem, per se requirit ut sit schola acquirendæ perfectionis, et debitus ordo postulat ut prius quis perfectionem acquirat, quam illam exercent. Tum etiam quia, nisi hujusmodi milites prius sint in virtute radicati et fundati, non poterunt, moraliter loquendo, effugere pericula peccandi, quæ in eo statu occurrunt, ut objectiones factæ ostendunt. Ex quo etiam ulterius colligi potest, convenientissimum esse, et moraliter necessarium, ut in talibus ordinibus militaribus sint conventus religiosi, in quibus fratres milites aliquandiu versentur, et in virtute ac perfectionis via instruantur, priusquam militiæ se dedant; et ad illos aliquoties recurrant tempore pacis, seu quando ab usu militiæ commode vacare possunt, ut in virtute instaurentur, et, si humana fragilitate lapsi fuerint, vel de virtute aliquid remiserint, reparentur et reficiantur.

11. Denique ex eodem principio colligitur, valde etiam opportunum ac expediens esse, ut hæ religiones non sint pure militares, sed conjunctionem aliquam, seu misionem habeant cum religione spirituali, et societatem cum religiosi, qui non militiæ, sed spiritualibus exercitiis, et cultui divino incumbant, ut, nimirum, possint milites a clericis religiosi in rebus spiritualibus instrui et juvari. Unde in historiis de origine ordinis militaris S. Jacobi refertur, apud Didacum de la Mota, lib. 1 de Fundatione illius ordinis, c. 2, § 2, et c. 3, cum prius ille ordo in solis militibus per modum cujusdam fraternitatis incepisset, et in vitæ honestate, ac virtutis profectu perseverare non potuisset, milites ad se reversos intellexisse, se non posse Domino militare, nec institutum suum secundum debitum finem perficere, sine religiosi sacerdotibus, et spiritualibus, a quibus spiritualia recipere, ideoque cum religiosi quibusdam canonicis regularibus in unum religionis corpus convenisse. Atque hunc morem aliæ religiones militares in universum servant, ut constat. Atque ita sufficienter ostensum est, et religionem militarem esse possibilem, et obiter tactum est quomodo debeat exerceri munus illud, ut statui perfectionis accommodetur.